REGIÆ MAJESTATIS DECLARATIO

De Cauſa Palatina.

Nec non de eâdem utriuſque Domus ordinum PARLAMENTI unanimis conſenſus & ſuffragia.

LONDINI:
Ex Typographio Regio.
CIↃ ICↃ XLI.

205101

Regiæ Majestatis DECLARATIO

CAROLUS, Dei gratiâ Magnæ *Britanniæ*, *Franciæ* & *Hiberniæ* Rex, Fidei Defensor, *&c.* Omnibus, ad quos hæc Declaratio pervenerit, Salutem.

QUo minus oblivione ſepulti aut prætextu quopiam ignoti latere videantur conatus chariſsimi Patris noſtri *Jacobi* beatæ memoriæ, utique & Noſtri poſt ipſius obitum progreſſus de cauſa prædilectæ & unicæ Sororis noſtræ, Sereniſsimi ejus conſortis, ac Nepotum noſtrorum Electorum & Principum Palatinorum Rheni, in quibus nihil aliud ſtuduimus, in nihil aliud laboravimus, quàm pacem orbis Chriſtiani, & inſontis effundendi ſanguinis parcimoniam; Nimirum intenti reſtituendæ ac poſtliminio ſtabiliendæ Electorali Domui Palatinæ, ac rurſus induendæ antiquis juribus, dignitatibus & poſſeſsionibus intra Imperium, quibus ea vi

& armis

& armis aliisque injustis molitionibus exuta est & profligata, præter recepta jura & constitutiones sacri Imperii; Æquum censuimus, famæ nostræ vindicandæ gratiâ, recognoscere, & universo orbi notum facere, ad quid hactenus anteacti conatus nostri ac studia collimârunt, quidque Nos eâdem de causa in præsentia statuimus.

LAtere non potest quemquam *Europæ* Principum seu Ordinum, maximè eorum, qui publicis *Germaniæ* negotiis, sive ex ipsorum jure, sive aliâ aliquâ relatione implicantur, quomodo & Nos & Parens noster per spatium Viginti annorum jamdudum elapsorum, variis legationi-

QUo minus oblivione ſepulti aut prætextu quopiam ignoti latere videantur conatus chariſsimi Patris noſtri *Jacobi* beatæ memoriæ, utique & Noſtri poſt ipſius obitum progreſſus de cauſa prædilectæ & unicæ Sororis noſtræ, Sereniſsimi ejus conſortis, ac Nepotum noſtrorum Electorum & Principum Palatinorum Rheni, in quibus nihil aliud ſtuduimus, in nihil aliud laboravimus, quàm pacem orbis Chriſtiani, & inſontis effundendi ſanguinis parcimoniam; Nimirum intenti reſtituendæ ac poſtliminio ſtabiliendæ Electorali Domui Palatinæ, ac rurſus induendæ antiquis juribus, dignitatibus & poſſeſsionibus intra Imperium, quibus ea vi

& armis

& armis aliisque injustis molitionibus exuta est & profligata, præter recepta jura & constitutiones sacri Imperii; Æquum censuimus, famæ nostræ vindicandæ gratiâ, recognoscere, & universo orbi notum facere, ad quid hactenus anteacti conatus nostri ac studia collimârunt, quidque Nos eâdem de causa in præsentia statuimus.

LAtere non potest quemquam *Europæ* Principum seu Ordinum, maximè eorum, qui publicis *Germaniæ* negotiis, sive ex ipsorum jure, sive aliâ aliquâ relatione implicantur, quomodo & Nos & Parens noster per spatium Viginti annorum jamdudum elapsorum, variis legationi-

bus, colloquiis, aliisq; tractationibus cum nupero Imperatore *Ferdinando*, Rege *Hispaniæ*, aliisque Imperii Principibus & Ordinibus, magno sumptu nostro & impensis conati sumus; omnia media adhibentes amica & pacifica restituendos procurare ac rursus adsistendos prædictam sororem nostram, Serenissimum ejus consortem & Nepotes nostros in hæreditaria jura & possessiones, utpote hanc unicam & facillimam viam rati stabiliendæ bonæ & firmæ pacis in Imperio *Germanico*, & consequenter cum omnibus Principibus, ad quos ista spectant: sine quo impossibile est expectare aut sperare bonam, duraturam & honestam sedationem motuum illorum, quibus penè discerpti

sunt

sunt & absumpti omnes orbis Christiani Principes, nec non sanguineo & exitiali bello involuti.

Atque ut omnibus clariùs innotescat, quid Nobis sincerè in animo fuit, non tantùm pia nostra propensio & publicæ pacis cura suasit Nobis, varias ansas prætermittere, quarum adminiculo, pro potentiâ Nobis divinitus indultâ, occurri potuisset oppressionibus & injuriis prædictæ Sorori nostræ, & Nepotibus illatis: sed eò inducti & invitati sumus variis promissis, fide-jussionibus, literisque Reversalibus ab Imperatore missis & Rege *Hispaniæ*, cœterisque, qui iniquè detinent patrimonia Electoralis Domus Palatinæ; quòd ob oculos ponentes interces siones nostras, tandem

tandem procliviores eſſent ad amplectendam juſtam & honeſtam pacem, reſtituendo ſcilicet patrimonia ac dignitates prædilectæ Sororis noſtræ & Nepotum; Unde pellecti ſumus non tantùm ea præterire, quæ Nos & Publicum propiùs attingunt, nec non manus abſtinere ab immiſcendis armis noſtris, tam juſtâ cauſâ flagitante, verùm etiam, interpoſitâ Patris authoritate, & Noſtrâ, authores fuimus ſubducendarum & dimittendarum Comitis *Mansfeldii* è Palatinatu Copiarum, & promovimus aliquot inducias, variaſque hoſtilium progreſſuum ac defenſionum intermiſſiones, quò facilior, ad compeſcendas amicabili modo diſcordias, via ſterneretur, ſecundum

dum ſpes & pollicitationes Nobis ideo datas, & ſpeciatim procuravimus propugnaculorum aliquot deditionem in manus defunctæ Infantis Hiſpaniarum, reciprocæ pacis demum ac reſtitutionis confirmationi innixi.

At quò recidêre pacifici Noſtri & Chriſtiani conatus, & quo pacto omnes piæ Noſtræ procurationes aut morâ impeditæ ſunt aut eluſæ, ut inde temporis tractu altiores radices agerent, ſeque ſtabilirent, qui jura Palatinæ Domus involârunt, quamque illi noſtrâ abuſi ſunt patientiâ & pietate, ita patet ex continuatâ oppreſsione prædilectæ Sororis noſtræ, ac Nepotum, ut proteſtari cogamur, nihil Nobis ex voto aut ſpe ceſsiſſe, ſed Nobis cer-

tò desperandum esse de eo unquam obtinendo justitiæ tractationis aut amicitiæ adminiculis, quod tam frequenter promissum est, & amatoribus Christianæ pacis expectatum.

Nihilominus, cùm pridem à charissimo Avunculo nostro Rege Daniæ certiores facti simus, quòd tandem, ipso mediante & procurante, hodiernus Imperator & Dux Bavariæ in colloquium consenserunt & deliberationem in Comitiis Ratisbonæ habenda sexto die Maii nuperrimè decurso, ad recognoscendas & demum sopiendas Domus Palatinæ controversias, quæ velut præparatoria sunt & conducentia ad generalem pacem & amnestiam per Universum Imperium Germanicum

manicum introducendam: Quodque idem Rex adhibitis aliquot Imperii Electoribus, omni acceptatione dignus admittatur, qui hac in causâ Mediatoris fungatur officio, quin & firmas acceperit & plenas ſpei fide-juſsiones propenſioris animi inclinationis erga reſtabiliendam Electoralem Familiam, eamque priſcis juribus ac dignitatibus induendam; adque idcirco ab Imperatore literas Salvi conductus Nepoti noſtro & Fratribus ipſius impetraverit, ut ſive liberè adſint Ipſi, ſive Deputatos ſuos mittant ad Comitia *Ratisbonenſia*, tempore & loco conſtitutis, cum cœteris omnibus clauſulis ad ipſorũ incolumitatem requiſitis, nimirum licentiâ accedendi, commorandi, &

pro libitu suo discedendi, ibique causæ suæ justitiam urgendi ac premendi: & in procurando hoc negotio Legatis suis animi sui sensa communicaverit, eosque dimiserit operam præstituros aut præsentibus Nepotibus nostris, aut Ipsorum Deputatis in prædicto Conventu paci stabiliendæ destinato: Cumq; idem Rex nos etiam rogaverit, secum hac in re eadem meditari ac moliri, mittendo Legatos Nostros honestatos & instructos ad idem propositum procurandæ bonæ ac duraturæ pacis infra Imperium *Germanicum* secundum sensa Principum Electorum, Ei per literas indicata; Adeoque Nos rogans ut in præsentibus Comitiis *Ratisbonensibus* operam præberemus.

Quem

Quem ad finem, cum Nepos noſter Princeps Elector Palatinus ſtatuerit, noſtro monitu & hortatu Deputatos ſuos mittere, ſecundum invitationes & elucentes ſpes boni eventus, ex amicabili modo Colloquii, & componendarum litium expectandi.

Nos etiam æquum cenſuimus, haudquaquam deeſſe tam bono inſtituto, Noſtris & tot Principum deſideriis conſentaneo, & ſpe aliqua freti melioris eventus, quàm qui hactenus omnibus Conatibus Noſtris reſpondit; Statuimus hoc ultimum periculum facere, ratione ſcilicet conveniendi ac deliberandi, nec non Legatum noſtrum ad Imperatorem mittere, Cæteroſque Principes in dictis Comitiis congre-

gatos; Ideoque illi plenariam potestatem concessimus, cum mandatus omnem nostram authoritatem conferendi ad procurandam ac stabiliendam bonam & felicem pacem, per restaurationem ac restitutionem possessionum & dignitatum dictæ charissimæ Sororis nostræ, Nepotis & Familiæ Electoralis, sine qua nulla pax aut honesta esse potest aut secura: Adeoque hortamur & obtestamur omnes alios Reges, Principes, Ordines, Amicos nostros, Socios & Fœderatos, qui aut ipsi prædictis Comitiis intererunt, aut quorum Legati sive Deputati aderunt, adstipulari justitiæ causæ tam bonæ, tantoque Dei beneficio, quantum futurum est *Germaniæ* jam penè desolatæ Pacis restitutio.

Quoniam

Quoniam verò frequenti experientia priorum Conatuum noſtrorum edoctis merito ſuſpicari liceat, poſſe fieri, ut exitus & ſucceſſus horum Comitiorum juſtæ expectationi Noſtræ minus reſpondeant, & è contra poſſe multa ſecus accidere in præjudicium juſtitiæ & jurum prædictorum Nepotum & Ipſorum Familiæ; (quod Deus avertat:) Hinc proteſtari cogimur adverſus omnes actiones, ſententias, concluſiones ac determinationes quaſcunque habendas, faciendas, declarandas, ſive in confirmationem oppreſsionum & uſurpationum præteritarum, ſive in additionem qualemcunque eis futuram, utinvalidas & plane irritas.

Quod ſi eventus ad ſpem & Votum

Votum noſtrum non reſpondeat, ulterius proteſtamur, & declaramus, Nos nequaquam deſerturos, quod & Noſtra ipſius & Publici intereſt, neque verò Cauſam, jura, juſtoſque titulos chariſsimæ Sororis Noſtræ & Nepotum, aliorumque Principum & Ordinum, eandem cum ipſis oppreſsionis violentiam paſſorum; Sed contra admoturos nos eſſe & adhibituros omnem vim & potentiam, qua Deus nos inſtruxit, ſive ex viribus militaribus noſtris, ſive ex Fœderatorum, amicorumque ſubſidiis & auxiliis in honoris noſtri vindicias, publicam pacem, ac reparationem omnium injuriarum, uſurpationum, & oppreſsionum prædictæ chariſsimæ Sororis, & Nepotum, cum illuſtriſsima ipſorum Familia. Atque

Atque ex hoc, ut profitemur omni conatu ac viribus eniti, ad promovendam felicem & optatam pacem in lacerati Imperii ſolatium: ita teſtamur Omnipotentem Deum, qui omnium Principum corda ſcrutatur, & Mundum inſuper, omnium juſtarum actionum noſtrarum ſpectatorem, Nos coram Deo & Mundo innoxios fore & immunes omnium malorum, quæ accidere poſsint, ſi quidem ſupremæ hæ ſpes Noſtræ aut morâ fuerint, aut aliâ quavis injuriâ eluſæ.

SAcra Majeſtas Regia Magnæ *Britanniæ* ſtatuens apud ſe, ſi quo modo noviſſima hæc ipſius tentamina per extraordinarium Legatum, Comitia adire juſſum *Ratisbonæ* habita, ad Nepotis ſui Principis Electoris Palatini res amico more ordinandas irrita fuerint, hanc legationem ſecutura validiora media magiſque efficacia, adiit Parlamentum ſuum quinto die Julii elapſo, ibique (poſt expedita quædam alia negotia) protulit ſupra ſcriptam Declarationem, habitâ oratione, in hæc verba;

HAnc ego anſam arripio, quâ ordinibus utriuſque Domus iliud protendam, ex quo ſpes mihi eſt, toti orbi fore conſpicuum, benè inter me, ſubditoſque

tosque meos convenire. Res est, quæ Nepotem meum Electorem Palatinum spectat, qui, cum, suadente Rege *Daniæ*, me obtestatus sit, operam ei dare in tractatu pro se restaurando in Comitiis ab Imperatore *Ratisbonæ* jam habitis; non potui eâ de Causa Legatum meum eò non mittere, etsi valde suspicor exitum optatis meis vix responsurum. Quod prospiciens Nepos meus à me impetravit (quo scilicet justa ejus postulata ampliori uterentur patrocinio) ut meo nomine eâ de re Declarationem ederem; quod quidem cum tanti sit momenti, si solus agerem inconsultis Parlamenti mei Ordinibus, minorem, quàm par est, vim sortiretur. Hîc itaq; vobis eam propono, vestro

uſurus conſilio: Hanc enim potiſſimam rationem duco, ut ſub meo nomine publici juris facta in lucem prodeat.

HAc Declaratione, de reſtituendâ Electorali Palatinâ Familiâ, ab Ordinibus utriuſque Domus ſeriò agitatâ & perpenſâ, unâ adierunt Regem in Cœnaculo Albaulenſi 12. die Julii, ubi Prolocutor Domus Parium ſententiam & decretum Ordinum utriuſq; Domus hiſce expoſuit.

PLacuit Majeſtati veſtræ, Declarationem hanc de Cauſâ Palatinâ in pleno Ordinũ Parlamentariorũ conventu legendam exhibere, atq; ab Ordinibus utriuſque Domus cum deliberatione perpendendam.

Utriuſq; Domus Ordines de eâ ſeriò deliberârunt, atque in mandatis

datis mihi dederunt, hæc eorum conſulta ſubmiſſa ſacræ Majeſtati veſtrę offerre; Ea ſcilicet ſententiis hiſce continentur, quas ſuffragiis Ordinum utriuſque Domus firmatas Majeſtati veſtræ coràm legere etiam in mandatis mihi datur.

Die Mercurii 7. Julii, 1641.

Quæſtione de ſuffragiis ab Ordinibus Domus Communitatis initâ, in hanc ſententiam conventum eſt.

QUod huic Domui probetur pium Regiæ Majeſtatis, erga Sereniſsimam Sororem ſuam Reginam *Bohemiæ*, Nepotem ſuum Electorem Palatinum, cœteroſque ejuſdem Familiæ

Principes propositum, nec non Declarationis hujus ea de re publicatio: Et quod hæc Domus parata futura sit, tale Majestati ejus, hac in re & concilium & auxilium more Parlamentario præstare, quale Majestatis ejus honori atque juribus & benevolentiæ hujus Regni conveniat, si præsenti tractationi secundior exitus non conveniat.

Die Sabbathi 10 Julii, 1641.

Quæstione de suffragiis ibidem ab Ordinibus Domus Parium initâ, in hanc conventum est sententiam.

QUod ipsi hoc in negotio idem cum Ordinibus Domus Cõmunitatis sentiãt.

Jussus

Juſſus ſum inſuper humilia Ordinum utriuſque Domus deſideria exhibere; nimirum, ut Majeſtati veſtrę placeat, hanc Declarationem Parlamento Scotico commendare, ut illud Regnum unanimiter idem nobiſcum ſentiat.

HÆc à Prolocutore Domus Parium enarrata ſunt, utraque Domo Regiæ Majeſtati in Cœnaculo Albaulenſi operam & obſequium præſtante; ad quæ gratioſè placuit Regiæ Majeſtati hoc reſponſum dare.

GRato animo accipimus coaleſcentia utriuſq; Domus Parlamenti conſilia in tam magno pioque negotio, Nobis in votis hiſce & decretis expoſita, quæ coram Nobis lecta audivimus.

mus. Insuper hanc Declarationem Parlamento Scotico commendatum iri curabimus, ut ei consensus illius etiam Regni accedant, de quibus præstandis minimè dubitamus.

FINIS.